

originate qd in hac vita in dem.

par. s. nō potat pñe in m. 117



XXI.
DE JURIS ET
FACTI IGNO-
RANTIA
DISPUTATIO,

Quam

*Jussu & permissu Amplissima Facultatis Juridi-
ca Lipsiensis*

Pro Licentia ad Doctorales
honores in utroq; jure consequendos

Publica disquisitioni subicit

M. VINCENTIUS Schmuck,

Ad diem 7. Februarii

In Auditorio D. Petri

Horis consuetis.



Lipsiæ,

Excudebat FRIDERICUS LANCKISCH.

ANNO M. DC. XXII.

100


REI PUBLICÆ PATRIÆ

Amplissimis pariter & Prudentissimis
DOMINIS CONSULIBUS
laudatissimog; Senatui,

Dominis & fautoribus suis honorandis

Dicat & consecrat

M. Vincentius Schmuck/
Lipsiensis.



Thesis I.

Duo sunt circa quæ vitam civilem frequenter occupatam esse cõvenit: **JUS** videlicet & Factum.

Hinc Autor Libri Esth. c. 1. v. 13. prudentissimos descripturus eos vocat: Verstendige Leut auff Recht vnd Handel.

2.

Duplex ergò quæstio, duplex scientia, duplex ignorantia Juris nimirum & facti.

l. 1. 2. & t. t. ff. & C. h.

3.

Jus non uno modo sumitur (a) quandoq; idem est ac Jurisprudencia. (b) Hic pro objecto seu Canone justitiæ ut loquitur Aristoteles. 5. Eth. sive jure propriè sic dicto quod in naturale gentium & civile dispescitur (c) accipimus.

(a) *Ut videre est l. pen. & ult. ff. de j. & j.*

(b) *l. 5. in pr. ff. d. r. Rub. ff. & inst. ibid. ubi diligenter notandum hanc significationem in presenti non quadrare. l. in bonorum. 10. ff. de bon. poss.*

(c) *l. 1. ff. b. r.*

4.

Factum etiam modo factum illicitum tantummodo significat, & in specie nonnunquam

A 2 illud

illud delictum, quod à dictis, scriptis, Confili-
is, separatum est. (a) Hic omne id, cui jus aptari
potest, denotat (b)

(a) *l. aut facta 16. ff. de pæn.*

(b) *l. 1. § 1. r. b.*

5.

Quæstio igitur Juris est, qua quid Juris sit
controvertitur: (a) Facti quâ an? quid? quo-
modo? &c. factum sit quæritur. (b) Prior ad Ju-
redicialem eiq; connexos: posterior ad con-
jecturalem eiq; affines status pertinet.

(a) *arg. l. idem erit. 15. ff. de stat. hom.*

(b) *vid. d. l. aut facta, 16. ff. de pæn.*

6.

Ignorantia vulgò describitur, quòd sit in-
scientia seu negatio scientiæ.

*Cum n. merè negativum sit, propriè definiri non potest:
sed describitur per negationem ejus, cujus est negatio.*

7.

Ignorantia sæpè vocatur error (a) qui tamen
propriè est falsa opinio ex ignorãtia cõtracta (b)

(a) *l. 1. l. 5. & 9. ff. h.*

(b) *Cic. de nat. 40. quæ res genuit falsas opiniones erro-
resve turbulentos & superstitiones aniles. Arist. igno-
rantiam in duas species dispescens ignorantiam & Nigbe-
m appellat, quod nos errorem nuncupamus.*

8.

Ignorantia ergò Juris h. l. est Juris de præ-
senti (a) & ad nos pertinenti casu (b) inscientia.

(a) *Que*

(a) Quo ipso facti scientia presupponitur. *Quamdiu
n. quis facti ignorantia tutus est, ad questionem de igno-
rantia juris non devenitur.*

(b) *l. 3. ff. h. t. Huc n. Advocatorum, item iudicum, qua-
renus tales sunt, ignorantia propriè & per se non pertinet,
arg. l. 5. ff. h. t.*

9.

Factum ignorare dicimur, cum id quod vel
in casu vel potestate hominis vel natura con-
tingenter positum est, accidisse ignoramus.

10.

Juris ignorantia secundum triplicem Juris
distinctionem tripliciter contingit; Aut enim
naturale, aut gentium, aut civile jus ignorare di-
citur.

*Vid. l. si adulterium cum incestu. 38. §. fratres 4. j. §. 2.
ff. ad L. Jul. de Adult.*

11.

Regulam igitur Jctus Paulus affert Juris
ignorantiam cuiq; nocere facti non nocere.

l. 9. ff. h. t.

12.

Contra verò quævis ignorantia quæ non
supina aut affectata sit excusat: Omnis autem
supina aut affectata nocet.

l. 9. §. 2. & 3. h. l. 3. §. 1. eod.

13.

Rectè utrumq;. Cujus enim scientia requi-
ritur id pro notorio reputatur.

d. l. 9. §. 2. & 3.

A 3

140

14.
Tale est jus naturale sub quo etiam jus gentium primævum complector.

pr. §. 1. & ult. Inst. de J. N. G. & C. l. 1. ff. de just. & jur. Quo spectat illud Cic. in ora. pro Mil. Est n. non scripta sed nata lex &c.

15.
Tale etiam est Jus gentium secundarium
(a) Tale etiam jus civile (b)

(a) *arg. §. 1. Inst. de J. N. G. & C.*

(b) *quia leges publicè proponi & olim in as vel ebur incidi solebant. arg. l. 2. §. 4. de ori. jur. in cujus locum hodiè successit multiplici scripturâ exprimi, publicè affigi & divulgari.*

16.
Inde sequi videtur omnem omninò Juris ignorantiam esse supinam, aut affectatam.

17.
De jure quidem naturali & gentium primævo res expedita est: Secundarii verò & civilis ignorantia penitiùs inspicienda est.

18.
Etenim Labeo juris ignorantiam illi demùm nocere tradit, cui facile sit jus scire.

Referente id Paulo in l. 9. §. 3. ff. h. t.

19.
Insuper etiam quandoq; juris ignorantia & illi non nocet, cui facile est jus scire.

l. 8. ff. h. t. & alibi passim.

20.
Diligenter ergò attendendum est ad cau-
sam & personas.

21.
Circa causam videndum est delictumne sit
an non.

l. 9. in pr. ff. h.

22.
Si non est delictum aut de damno quæritur
aut de compendio.

23.
Damnum est deminutio Patrimonii (a)
compendium idem quod lucrum (b)

(a) *l. 3. ff. de damno inf.*

(b) *l. quamvis C. h. t.*

24.
Damnum aut est amittendæ rei nostræ aut
amissæ, quod posterius propriissimè damnum
vocatur.

l. 8. & 9. ff. h. t.

25.
Personæ considerandæ sunt ratione sexus,
conditionis & ætatis.

26.
Ratione conditionis personæ dicuntur mi-
lites, rustici &c.

27.
Secundùm ætatem aut maiores sunt aut
mi-

minores. Hi aut puberes aut impuberes.

28.

In damnis ergò amittendæ rei suæ nulli penitus juris ignorantia nocet.

29.

Veluti si per errorem juris indebitum promittam, doli exceptione tutus sum.

l. si quis cum aliter 36. ff. de v. o.

30.

Neutiquam enim convenit errorem juris quod ab initio nobis non ademit, id ubi errare desimus, adimere.

31.

Prædictam regulam amplio : I. ut etiam si res amittenda (a) nobis absit, peti possit (b)

(a) dico amittenda, quid n. de amissa juris sit, inferius declarabo.

(b) *l. 7. ff. h. t. Exemp. gr. Uxor moriens libertis mariti sui fideicommissum debuerat : eorundem prædiorum suis quoq; libertis usumfructum reliquit. Fideicommissarij priores juris ignoratione lapsi secundum fideicommissum una cum posterioribus longo tempore percipiunt; non ideò peremptam esse prioris fidei commissi petitionem Papinianus concludit in l. qua fidei comm. 79. ff. de Leg. 2.*

32.

Amplio II. ut etiam procedat quando in ignorantia constituti adversarium Consilio & auxilio in ejus rei vindicatione vel retentione juvimus & defendimus.

l. inter

l. inter 54. ff. de Rei vind.

33.

Fallit autem regula in propria (a) judiciali confessione (b) quia talis confessus habetur pro iudicato (c)

(a) Dico propria: Si n. procurator, tutor, curator fateantur suo periculo faciunt, nisi expressum mandatum adsit. *l. 6. §. sed an & ipsos. 4. ff. de Conf. l. 9. §. 3. & 4. ff. de interr. in jur. fac. l. proinde 25. §. 1. ff. ad L. Aquil. vel Dominus ratum habeat. l. fin. C. ad Sctum Mac.*

(b) *l. 2. ff. de Conf. Non a. sufficit hanc confessionem esse pro tribunalem sed insuper adversa partis ejusve procuratoris, tutoris, Curatoris &c. presentia requiritur. d. l. 6. §. si quis absente 3. d. t.*

(c) *l. un. C. d. t. d. l. 25. §. fin. ff. ad L. Aquil.*

34.

Sed hoc vicissim limitationem recipit, ut ecce pupillus sine tutoris autoritate confitens nihil agit, Minor qui sine tutore confessus est, restitutionis auxilium implorare potest.

d. l. 6. §. in pupillo. 5. de Confessus pr. inst. de aut. tut.

35.

In Confessione extrajudiciali regulam sequimur. (a) Exemplo sit is, qui servos testamento manumissos affirmavit cum testamentum non valeret (b)

(a) *l. cum falsa 5. C. h. t.*

(b) *l. cum testamentum 8. eod.*

B

36.

36.

De damno rei amissæ aliter jus statuit: juris videlicet ignorantiam nocere regulariter.

37.

Exemplum est in eo qui imperitia juris lapsus beneficio legis falcidix usus non est.

l. 9. §. 5. h. t.

38.

De pecunia per errorem juris indebitè soluta dubitari potest (a) sed & hic cur regulam non sequamur nihil obstat (b)

(a) *quod faciunt pleriq; Dd. ut & gl. ad l. cum quis 10. C. h. t.*

(b) *per textum expressum in d. l. 10. C. h. t. arg. l. 9. §. 5. v. quod si ideo ff. cod. Adde quod omnis solvens eo animo sit ut transferat Dominium l. Dominus 53. ff. de Cond. ind. §. per traditionem inst. de Rer. Div. Hinc est quod per errorem facti solvens pecuniam non vindicet sed condicat. Nemo autem suam condicit præterquam à fure l. ult. ff. usufructuarius quemadmodum caveat.*

39.

Excipiuntur tamen & in damnis rei amissæ personæ quatuor: Minor videlicet, Miles, Fœmina, Rusticus.

l. 9. h. t.

40.

De minore & milite inferius dicam (a) in fœmina subest fragilitas sexus (b) in rustico simplici

plicitas, vel potius conditio vitæ, in quam peritia juris non facilè cadit (c)

(a) *in damnis n. nihil peculiare habent à fœminis & rusticis.*

(b) *l. 9. pr. h. t. l. 2. §. fin. ff. de jur. fisci.*

(c) *cui omninò parendum est, arg. l. 2. §. 1. ff. si quis in jus vocat: arg. l. si quis id. 7. §. 4. ff. de jurisd.*

41.

In Compendiis certum est juris ignorantiam nequitquam excusare ne fœminas quidem aut rusticos.

l. 8. ff. h. t. Quod autem hic aliud statutum sit quam in damnis, mirum non est. Jura enim repetitioni magis favent, quàm adventitio lucro. l. 41. §. 1. de R. I.

42.

Exemplum est in eo, qui scriptus hæres intra legitimum tempus bonorum possessionem nõ petiit.

l. 1. §. 1. h. Eodem ergò in casu nec fœminas melioris esse conditionis quàm viros ostendit l. juris. 6. C. qui admitti ad bon. poss.

43.

Fallit tamen hæc regula. 1. Si plus sit in veritate quàm in intentione mentis.

l. 9. §. qui ignoravit 4 ff. h.

44.

Fallit. 2. in minore & milite.

d. l. 9. h. l. 1. l. 11. C. eod.

45.

B 2

Ergò

Ergò si intra statutum tempus bonorum possessionem petere omiserunt eis succurreretur.

l. 2. C. de integ. rest. min.

l. 9. §. 1. h. t.

46.

Unde hanc extruimus regulam: ubi facti ignorantia aliis non obest, his nec juris ignorantia nocebit.

47.

Imò amplius sæpè facti ignorantia aliis obest, ubi his personis jus ignorare non nocet.

48.

Etenim minoribus & militibus extremâ negligentia, (propemodùm dixerim affectatè) jus ignorare licet.

Hoc enim in l. 9. pr. & §. 1. h. dicitur: minoribus & militibus jus ignorare permittitur. Atq; hæc est ratio cur S. C. t. Macedoniani exceptio adversus minorem locum non habeat. d. l. 9. in pr. h. Hæc etiam causa, cur res minoris in conductum Urbanum prædium illata tacitè pignori non sint.

49.

Aliàs exiguum esset, quod peculiare haberent: quia & reliquis ignorantia juris non officit, nisi vel suâ sint instructi prudentia vel peritiorum copiam habeant, quos consulant.

l. 9. §. 3. h. t. l. in bonorum 10. ff. de bon. poss. Ergò falsum est, quod vulgò tradunt: cessare hoc privilegium in minore quo

re qui *Idus* sit. Ea enim ratione melioris conditio-
nis esset stultus quàm peritus; quod est absurdum l. 4.
ff. quod vi aut clam.

§0.

Sed quænam subest ratio tanti privilegii?
Certum est in minore lubricum ætatis occasio-
nem dedisse.

L. ult. C. si advers. delict.

*Neutiquam a. verum est ignorantiam juris de minore
presumi presumptione juris & de jure.*

1. *Contrarium enim monstrat l. 1. §. 2. v. pueritiam ff.
de postulando.*

2. *quia minor potest esse consul & prætor. l. un. §. 2. v.
sed si evenerit ff. de off. Cons. quod stante tali presumptione
valde absurdum esset arg. l. 2. §. 14. v. dicti & §. 27. de
or. jur.*

3. *Quia sæpè veniam ætatis impetrant vid. l. 2. C. de his
qui ven. at. impet.*

§1.

De milite vulgò allegant, quod in eo armo-
rum potius quàm juris scientia requirenda sit
(a) Quæ bona est ratio, si ad regulam modò da-
tam spectes: sed cur supinè aut affectatè jus i-
gnorare potest? puto quod sit favor rei milita-
ris ab utilitate rei publicæ dependens (b)

(a) *l. 1. C. h. t.*

(b) *t. t. ff. & C. de re milit. l. 1. & t. t. C. de veteranis.*

*Quid a. per militem intelligimus? vid. l. pen. C. de test. mi-
lit. arg. l. generaliter C. de Episc. & Cler. l. qui sub præ-
textu de Sacros. Eccl.*

B 3

52.

52.
Si delictum est, constat neq; de Compendio,
neq; de damno propriè sic dicto agi.

53.
Etenim ex delictis quenquam sentire com-
modum perquam absurdum est.

*Ergò nec tunc ad promovendum commodum efficax erit,
si quando ignorantia juris (ut mox dicam) à pœna liberat.
Exemplum est in l. 3. & l. pen. C. de his qui sibi adscribunt,
ubi is qui in testamento legatum sibi adscripsit ratione pœ-
na, veniam impetrat sed ita ut legatum neutiquam con-
sequatur. Insuper nec actus per se invalidus pœna remis-
sione convalescet, ut expressum est de incestis nuptiis, in l.
38. §. idem Pollioni, 6. ff. ad L. Jul. de adult.*

54.
Damnum quoq; rei amissæ in delictis non
conspicitur: (a) Sed nec amittendæ semper lo-
cum habet. (b)

*(a) Delicta enim non faciunt ut statim res nostra amissa
sit l. 2. in fin. l. 3. §. ult. ff. de bon. eor. qui ante sentent.
(b) non enim semper agitur de pecuniariâ pœnâ neq; sem-
per in pœnis res nostra amittitur. l. 8. ff. de pœn. l. 10. §. fin.
ff. cod. l. 15. in pr. Ad municip. l. 13. §. 7. de his qui not. inf.
l. 56. §. 1. de furt.*

55.
Quoniam ergò regulariter juris ignorantia
à pœna excusat neminem, sequitur quod nec
regula de damnis amittendæ rei superius data
in delictis quadrare possit.

Quia

*Quia nimirum rei publice interest delicta non manere
impunita l. locatio 1. §. quod illicitè. 5. ff. de publicanis l. i-
ta vulneratus 51. v. quod si quis ff. ad Leg. Aquil.*

56.

Cæterum delicta pro diversitate juris distin-
cta sunt. Aliud n. juri naturali adversatur, aliud
civili tantum.

l. 38. ff. ad L. Jul. de adult.

57.

Naturali, ut furtum, adulterium, homicidi-
um &c. (a) Civili, ut incestum quoddam (b) fal-
sum quoddam (c) &c.

(a) §. 1. inst. de obl. quæ ex delict. nasc. l. probrum 42. ff.
de V. S.

(b) d. l. 38. §. 2.

(c) l. 15. ff. ad Leg. Corn. de falsis.

58.

In delictis ergo quæ simpliciter juri naturali
repugnant, regulam de ignorantia juris natu-
ralis datam simpliciter sequimur, in reliquis
non item.

*Juri naturali simpliciter repugnat furtum §. 1. inst. de
furt. Homicidium l. 3. ff. de just. & jur. Adulterium d. l.
38. ff. ad Leg. Jul. de adult: quia talia admittens nullâ
juris ignorantia quamcumq; etiam prætendat dolum à se
avertere poterit. Non simpliciter repugnat: veluti si quis
in alieno testamento legatum sibi adscribat. Talis enim
contra jus naturale facit siquidem dolus adsit: quod si fraus
absit & à testatore jussus faciat, nihil in jus naturale de-
lin-*

linquit. vid. l. 15. ff. ad Leg. Corn. de falsis. Adde l. 3. 4. 5.
& ult. C. de his qui sibi adscribunt. Priori ergo casu regula
obtinere, posteriori non item.

59.

Circa delicta juri civili adversantia attendendum est ad admissum ipsum & personas delinquentes.

60.

* alias Verum enim delictum adesse semper præsupponimus: quod si* circumstantiæ faciunt ut tale factum pro delicto reputari non possit, frustra de ignorantia juris quæritur.

Veluti si per defensionem legitimam homo interfectus sit l. 3. ff. de just. & jur. l. 2. 3. 4. & t. i. C. ad Leg. Corn. de Sicar.

61.

Ea de causa furiosos, infantes & infantia proximos hinc prorsus arcemus.

Sicut etiam superius prætermisimus. De illorum enim ignorantia rectè quæritur qui scire possunt.

62.

Admissa ipsa vel simpliciter prohibita sunt, vel cum adjectione, si dolo malo fiant.

63.

Simpliciter veluti adscribere sibi in testamento alieno legatum etiam jussu testatoris (a) incestum matrimonium (b)

(a) l. 15. ff. ad Leg. Corn. de falsis.

(b) l. 38.

(b) l. 38. ad L. Jul. de Adult.

64.

Cum adjectione: qualiter de eo qui quod in albo vel charta jurisdictionis perpetuæ causa scriptum est, corrumpit, statuitur.

L. si quis id. 7. pr. & §. 4. ff. de jurid.

65.

Quæstionis ergò est an ignorantia juris dolum omninò excludat, adeò ut qui in jure erret, non possit in leges ejusmodi adjectionem habentes impingere? Sunt qui affirmant, quod mihi falsum videtur.

Imò si animus ledendi adsit, licet jus scriptum esse, quo ejusmodi delictum coërceatur, ignoret, talem delinquentem in jus naturale impingere dicam, arg. l. 10. §. 1. de just. & jur.

66.

Ergò tum demùm in legibus hanc adjectionem habentibus juris ignorantia fructuosa erit circumstantia, si dolum manifestè excludit (a). Aliàs nec foeminis nec minoribus per omnia veniam dari censeo (b).

(a) *Exempli gratia, qui dolo occupat hereditatem ad se non pertinentem pro pradone habetur. Sed quid si Jus ignoravit? Aut taliter jus constitutum esse ignorat, ipsam a. hereditatem ad se non pertinere scit: & sic excusatum puto minimè; Verba enim l. sed etsi 25. §. quod ait 2. ff. de har. pet. disertè nostra ad stipulantur sentent. Aut*

C

refra.

*testamentum non secundum juris normam factum, in quo
heres institutus est valere putat, vel se proximum agnat
um esse credit: & sic manifestè dolus excluditur d. l. 25.
§. 6.*

*(b) ut enim thesi antecedente diximus, dolosi contra jus
naturale peccant.*

67.

Personæ superius à nobis distinctæ sunt. No-
tetur hîc ante omnia minores in delictis juris
civilis excusari ignorantia.

l. 4. C. de incest. Nupt.

*l. 38. §. 4. ff. ad Leg. Jul. de adult. l. 1. §. accusationem
ff. ad SCtum Turpill. Imò amplius in delictis jure gentium
prohibitis sæpè pœna propter atatem mitigatur l. aut facta
16. §. persona 3. ff. de pœn. l. auxilium 37. §. 1. v. in deli-
ctis ff. de minor.*

68.

De milite dubitari potest: sed puto & huic,
ubi non expressè contrarium decisum reperi-
tur, succurri debere.

l. qui adhibitus 5. C. de his qui sibi adscribunt.

69.

Fœminæ quoq; tali privilegio gaudent, ut in
quibusdam quæ sunt juris civilis ignorantia ex-
cusentur.

*De incestu est text. express. in l. 38. §. 2. ff. ad Leg. Jul.
de adult. ubi: quod si sola juris nostri observatio in-
terveniet, mulier in incestu erit excusata. Similiter
de ea qua non petita abolitione ab accusatione desistit, de-
cidi-*

*ciditur in d. l. 1. §. accusationem l. mulier ff. ad Sctum
Turpill. l. si femina C. eod. Aliquando viduis concessum
est aliquid, quod generaliter ad feminas non pertinet. l. 1.
C. de falsa monetâ.*

70.

Sed quid de rusticis? & illi non prorsus veniâ
carebunt.

*Quando scil. femina excusantur. Rusticitas n. & se-
xus comparantur l. 2. §. ult. ff. de jur. fisci.*

71.

In quasi delictis cum vix casus dari possint, u-
bi facti ignorantia excuset; ideò nec juris error
cuiquam facilè proderit.

*Imò quandoq. inviti (ut ita dicam) tenentur. vid. l. 1. §.
3. 4. & seq. ff. de his qui dejecerint vel effud. l. 5. eod.*

72.

An damnum injuria datum inter quasi deli-
cta referri possit, dubitationis plenum est. Af-
firmativam defendere conabor.

73.

Est adhuc alia defensio, quæ tam in privata
rerum administratione quàm etiam delictis ju-
ri naturali non adversis locum habet. Ecce e-
nim consuetudinis (a) statuti alterius loci (b)
ignorantia cum inscientia facti alieni effectute-
nus coincidit.

(a) l. 1. C. qua sit longa consuet.

(b) Curt. sen. Cons. 27. n. 14. incip. Magnificus vir Rom.
C 2 Cons.

*Conf. 251. n. 3. incip. Clarissima. Idem est in civē novi-
tio l. qui cum uno in fin. l. qui commeatus §. fin. ff. de re
milit. Novarum constitutionum ante praterlapsos duos
menses à tempore insinuationis numerandos nulla scientia
requiritur. Nov. 66.*

74.

Facti enim ignorantia vel nostri est facti vel
alieni (a) utraq; aut absoluta & simplex aut se-
cundum circumstantias. (b)

(a) l. 3. ff. h. t. l. ult. in fin. ff. pro suo.

(b) arg. l. aut facta 16. ff. de pœn. l. 24. ff. de R. I.

75.

Ergò quod superius dictum est, facti igno-
rantiam, nisi supina sit, non nocere in, ignoran-
tiâ facti alieni maximè sese exerit.

*Arg. l. 3. ff. h. t. . Tum demum verò est de ignorantia fa-
cti querere ubi leges eam admittunt. Quaedam enim
prorsus respuunt: tales sunt quæ scribuntur generaliter
adversus omnes qui tale quid fecerint etiam ignorantes.
Exemplum nobis suggerit Lex Aquilia l. si putator 31. ff.
Ad leg. Aquil. §. 4. & 5. inst. eod: Ita etiam se habet
interdictum de his qui dejecerint vel effuderint l. 1. §. 3. 4.
& seq. ff. de his qui dejecerint & c. Talis etiam est Lex
quæ doli actionem post biennium, ex quo dolus admissus
est, denegat l. ult. C. de doto malo.*

76.

Etenim proprii affectata esse videtur (a) nisi
sit factum antiquum. (b)

(a) arg.

(a) arg. l. 19. §. 1. l. 13. §. 16. ff. locati.

(b) arg. l. peregrè 44. §. 1. ff. de acquir. poss. Similiter dicerem senes, morbo debilitatos &c. facile proprii facti ignorantia excusari arg. l. 8. ff. de test. idem de eo qui negotiorum varietate implicatus est, tradit Jason in l. quod iussit n. 5. ff. de re jud.

77.

Supina ignorantia facti est, quæ levi inquisitione tolli potuisset.

Dico levi, quia scrupulosa inquisitio requirenda non est. Scientia n. hoc modo estimanda est ut neq. negligentia, crassa aut nimia securitas satis expedita sit, neq. delatoris curiositas exigatur. l. 6. ff. h. t.

78.

Hoc ergò inter juris & facti ignorantiam interest, quod illa regulariter non excuset, nisi diligens indagatio præcesserit: in hac verò levis inquisitio sufficiat; quandoque prorsus necessaria non sit.

79.

Restat ut regulas quasdam ad ulteriorem juris & facti ignorantiae distinctionem pertinentes subjungamus. I. Quoties Lex ignorantiae parcit non addens quæ aut qualis sit facti intelligitur.

In damnis tamen amittenda rei sua; in his item personis, qua juris ignorantia excusantur, nihil prohibet utramq. intelligere.

C 3

80.

80.
II. Quoties ignorantia juris non obest, toties multò minùs error facti nocebit.

81.
III. Quoties facti ignorantia non excusat, toties multò minùs error juris.

82.
IV. Ignorantia facti alieni præsumitur, nisi probetur contrarium.

l. fin. ff. pro suo l. qui in alterius 42. de Reg. jur. c. præsumitur 47. de jur. in 6.

83.
Hæc præsumptio eliditur, ubi factum de cujus ignorantia quæritur, omnibus notum est.


l. 9. §. 2. ff. h. t. nisi circumstantiæ aliud suadeant.

84.
V. Ignorantiæ probatio per juramentum fieri potest.

Text. in c. in lectum. 34. q. 2. c. si verò 4. v. vel si hoc dubium fuerit de sent. excomm. Est n. aliquid in animo considerans circa que probatio per juramentum regulariter admittitur. arg. l. non omnes s. §. à barbaris 6. ff. de Re milit. c. ult. §. fin. ext. qui mat. accens. possunt.

85.
Sub finem notetur ignorantiam siquidem in judicio relevare debet, allegandam esse.

F I N I S.



emmate qis in hac ista in dem,

pat: 3 no lotat ofira iura



Willelmus de ...

Albano de ...

01 A 6518

ULB Halle 3
 002 937 514



VD 17

also ✓

...



Handwritten text in a medieval Gothic script, written on a parchment leaf. The text is arranged in a single column, with some lines starting with red initials. A large, decorative initial 'B' is visible at the bottom of the page. The text appears to be a form of Latin or Old Germanic script, possibly a liturgical or historical document.

Handwritten marginal notes on the left side of the page. Some lines are written in red ink. The notes are written in a smaller, cursive hand compared to the main text.

Handwritten marginal notes at the bottom left of the page. The notes are written in a smaller, cursive hand.

Marginal notes or numbers written in the right-hand margin of the page. Some numbers are clearly visible, such as '17' and '11'.

A handwritten number '1537' written vertically in the right-hand margin of the page.



xxi.
DE JURIS ET
FACTI IGNO-
RANTIA
DISPUTATIO,

Quam
Jussu & permissu Amplissima Facultatis Juridicae Lipsiensis

Pro Licentia ad Doctorales
honores in utroq; jure consequendos

Publicae disquisitioni subicit

M. VINCENTIUS Schmueck,

Ad diem 7. Februarii

In Auditorio D. Petri

Horis consuetis.



Lipsiae,

Excudebat FRIDERICUS LANCKISCH.

ANNO M. DC. XXII.

